

hæ quidem viam affectant istis prorsus contrariam, utraq; tamen in tendinem modo dictum ductu parallelo ad angulos obliquos desinunt. Etenim quod concernit ventriculum dextrum, pauca quidem ab ejus fibris externis sunt excipiendæ, quæ per extimam ejus superficiem via recta tendunt sursum; attamen quæ rectis istis proxime sunt subjectæ, a sinistro latere versus dextrum oblique ascendentes, in basi cordis tendinibus supra dictis eodem modo infiguntur, atque ita spirali suo circuitu helicen seu cochleam aptissime exprimunt. Quæ omnia satis ostendit Fig: 10. in qua *a* significat cordis basin, *b* ejus conum, *c* fibras externas dextri ventriculi, *d* externas sinistri, *f* autem commune ventriculorum interstitium. Internæ vero, quæ has immediate excipiunt atque contingunt, contrariæ prorsus insunt viæ. Siquidem a dextro cordis latere procedentes oblique versus sinistram assurgunt, & utrumque ventriculum cingentes, ubi ad basin sinistri lateris pervenerunt, terminantur in tendines, atque ita alteram helicen inversi ordinis repræsentant. Neque alia est conditio fibrarum tum internarum, tum externarum, quæ sinistro ventriculo sunt propriæ. Hæ siquidem a tendine baseos exortæ sinistrorsum spirali modo descendunt, & circa conum elegantissime se contorquent in circulum; quo absoluto flectunt se introrsum, atque ita via prorsus contraria originem suam petunt, insimul internum ventriculi parietem constituentes. Tam concinnus autem est omnium harum fibrarum ordo, ut crederes unicam esse, quæ instar fili, circuitu sæpius repetito, in glomerem convoluta cordis parenchyma componat. Sed Anatomia clare ostendit,

Fig: 10.

Fig: 11.